



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Meditatio de personis, verbis, actionibus.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](#)

Pars tertia  
raliter solent. Et tota meditatio colloquio  
claudenda est.

*Meditatio de personis, verbis, actionibus.*

*3tia Praxis*, si meditationem in tria puncta distribuas scilicet personarum, verborum, & operum vel actionum. *In personis* considerantur exteriora, interiora, potentiae animae, professio, officium, pulchritudo vel foeditas virtute aut vitio affectorum &c. quibus addi potest locus. Sicut S. P. N. in meditatione de duobus vexillis contemplatur Christum humili constitutum loco. *In verbis*, quo etiam cogitationes referuntur, consideratur; quid laudandum, vituperandum, quem sensum energiam habeant. Item quid probabiliter tales personae dicere potuerint. Ipsum etiam earum silentium cum variis circumstantiis considerari potest. *In actionibus* considerantur earum natura, qualitates, circumstantiae loci, temporis, modi, motiva, effectus. Quam magnum scilicet meritum sibi vel alii, perfectionem, gloriam, favorem apud Deum & homines quis sit promeritus; aut certe his contraria sibi compararitis; qui talen actionem peregit. Non tamen est opus; ut singula enucleate examinentur; sed sufficit habere in uno vel altero, prout citius vel tardius documentum elucet, vel affectus consurgit. Si uadetur etiam, ut praeviè delibetur, quænam circumstantiae utilius expendi, quænam documenta magis salutaria erui possint. Possumque hoc

hoc modo probos & improbos, inferos & cæli-  
tes pro objecto habere, & per omnes cæli ter-  
ræque plagas mente vagari. Nec potest non  
esse, ut quis personas, verba, opera in singulis  
mysteriis contemplans sibique applicans non  
colligat multiplicem fructum, & post intellectus  
ratiocinium suâ sponte ad voluntatis affectiones  
rapiatur. Exemplum ejusmodi meditationis vide  
in lib. Exercit. de verbo incarnato.

Meditatio de natura rei, motivo, modo, vel de  
quinque motivis, vel de ruminazione ver-  
sus; Quis, quid, ubi, &c.

4ta Praxis est pro exercitatis nec librum ad  
ad manus habentibus, sed v.g. in itinere de virtute  
aliqua seu vitio, seu doctrinâ seu facto ali-  
quo volentibus meditari: ut primò discutiant  
naturam doctrinæ, virtutis, &c. Secundò mo-  
tiva. Tertiò modum. Vel etiam unicè quin-  
que motiva sive pro fugiendo sive amplectendo  
objecto aliquo expendant. Scilicet necessita-  
tem, utilitatem, jucunditatem, dignitatem, & qui-  
tatem, vel his contraria. Et cuilibet expenso  
motivo congruus subjiciatur affectus. Vel de-  
mum materiam substratam expendant per vul-  
garem versiculum: Quis, quid, ubi, quibus auxi-  
liis, cur, quomodo, quando affectibus conve-  
nientibus simul elicitis.

Meditatio per modum privata Conscientia.

5ta Praxis est instituere meditationem velut